

cerdos sancte, sine diacono properas tuo? Nunquam sacrificium  
 sine ministro offerre consueveras. Quid in me ergo dispi-  
 cuit, pater? Num degenerem probasti? Experire certe, utrum  
 idoneum ministrum elegeris. Cui commisisti Dominici san-  
 guinis consecrationem, cui consummandorum consortium  
 sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas? Vide,  
 ne periclitetur judicium tuum, dum fortitudo laudatur. Ab-  
 jectio discipuli detrimentum est magistri. Quid quod illustres  
 et præstantes viri discipulorum certaminibus magis, quam  
 suis vincunt? Denique Abraham filium obtulit <sup>1)</sup>, Petrus  
 Stephanum præmisit<sup>2)</sup>. Et tu, pater, ostende in filio virtu-  
 tem tuam, offer quem erudisti, ut securus judicii comitatu  
 nobili pervenias ad coronam. Tunc Xystus ait: Non ego te, fili,  
 relinqu ac desero: sed majora tibi debent certamina. Nos  
 quasi senes levioris pugnae cursum recipimus, te quasi ju-  
 venem manet gloriosior de tyranno triumphus. Mox venies,  
 flere desiste, post triduum me sequeris. Inter sacerdotem  
 et levitam hic medius numerus decet. Non erat tuum sub  
 magistro vincere, quasi adjutorem quæreres. Quid consor-  
 tium passionis meæ expetis? Totam tibi hæreditatem ejus  
 dimitto. Quid præsentiam meam requiris? Infirmi discipuli  
 magistrum præcedant, fortes sequantur: vincant sine ma-  
 gistro, qui jam non indigent magisterio. Sic et Elias Eli-  
 sæum reliquit. Tibi ergo commendo nostræ virtutis suc-  
 cessionem. Talis erat contentio, digna sane, de qua certa-  
 rent sacerdos et minister, quis prior pateretur pro Christi  
 nomine. In fabulis ferunt tragicis, excitatos theatri magnos  
 esse plausus, cum se Pylades Orestem diceret, Orestes, ut  
 erat, Orestem se esse asseveraret: ille ut pro Oreste neca-  
 retur, Orestes ne Pyladem pro se pateretur necari. Sed  
 illis non licebat vivere, quod uterque esset parricidii reus:  
 alter qui fecisset, alter qui adjuvisset. Hic Laurentium sanctum

1) Gen. 22. 2) Act. 7.